

peccata fuga vinci debent, quia quo diutius mens in iis desigitur, eo fortius accenditur. Qui hac ratione pugnat, percutit hostem.

Secundo, persequatur hostem pergendo in solitis suis exercitiis spiritualibus, nec quidquam de iis remittat, nec de vetere instituto ac propositis aliquid immutat. Ut enim dæmon nil aliud lucri a nobis ferat, satis illi superque est nos ad tempus interurbasse. Aqua turbida nihil repræsentat, limpida vero et tranquilla minimos etiam lapillos ostendit. Tentatio perturbat hominem et ineptum reddit ad res suis momentis ponderandas juxta id Psal. XXXIX. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.* Denique persequatur hostem, qui otium vitabit, et semper occupatus a dæmone invenietur.

Tertio, apprehendat mentum lupi eumque suffocet resistendo tentationum initiis. Ita suffocatur ignis antequam grassetur, et crescat in incendium, dum exorienti exitus et spiracula omnia præcluduntur; non item ubi flamma exitum et vires acquisierit. Facile defenditur civitas, antequam hostes eam ingressi sint, qui ubi introierunt, et in ea sedem suam firmarunt, deinde non nisi cum maxima difficultate possunt expelli. Saxum, cum in montis vertice jacet, facili negotio ibi detineri potest, ne cadat; ubi vero jam cadere cœpit, et in motu est, vix magnis viribus retinetur. Ita cogitationes malæ facile reprimuntur, si initio statim iis occurratur antequam radices agant. Modus ad hoc conveniens est mentem cito alio deflectere, v. g. ad meditationem mortis, vel inferni, vel statuere se coram imagine Christi crucifixi, et contemplari vulnera, dolores ac rivos sanguinis ejus, denique cogitare, hæc cum ideo pertulisse, ut destrueret peccatum; proinde totis viribus vitanda in posterum peccata.

Sed vereor, auditores, ne dum ista doceo, in plerisque operam ludam. Quot enim putatis esse, qui hanc doctrinam capiant sibi applicare studeant? Et tamen nisi dicta ratione pugnemus pro nostris ovibus, non pastores, sed mercenarii erimus, qui lupo adventante fugiunt, et derelinquunt gregem, audiemusque id Zach. XI. *O pastor, et idolum derelinquens gregem? Et quid fiet hujusmodi pastori ligneo et fictitio? Idem omnino quod gregi, quem lupi dentibus reliquit. Et quid tali gregi? Audiatur psaltes, Ps. XLVIII. Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Sæviet ibi mors seu plaga in singulas illas oves misere derelictas, in intellectum, voluntatem, memoriam, in affectus et passiones, in sensus tam internos, quam externos, in membra denique omnia. Sicut e contra, si has oves nostras bene custodierimus, sentiemus eas in cælo singularibus beari gaudiis: quæ nobis tribuat Deus.

## CONCIO VI.

SIGNA OVIUM CHRISTI SEU PRÆDESTINATORUM.

I. Mansuetudo. — II. Patientia. — III. Eleemosynæ. — IV. Pœnitentia et mortificatio. — V. Appetitus verbi Dei. — VI. Freqvens et debitus usus sacramentorum. — VII. Amor et fuga peccati. — VIII. Studium orationis. — IX. Humilitas.

## THEMA.

Cognosco oves meas. Joan. X.

Refert Ludovicus Blosius, in appendice de quatuor sanctis feminis, sanctam virginem Mechtildem, cum feria quarta post diem paschæ inchoaretur missæ introitus: *Venite benedicti Patris mei, ingenti et inusitata lætitia repletam dixisse ad Dominum: O si unâ essem ex illis benedictis, qui hanc dulcissimam vocem tuam audituri sunt? Cui Dominus: Certo scias te unam ex illis esse: et ut nihil dubites, ecce ego do tibi cor meum in pignus amoris.* A quo tempore cœpit mira lætitia et devotione erga cor Christi affici, quæ etiam instante morte sua audivit ea Christi verba: *Veni, benedicta Patris, posside paratum tibi regnum a constitutione mundi.* Forsitan nos, auditores, similem cogitationem habuimus cum audivimus in hodierno evangelio: *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas.* O si et ego essem unâ de Christi ovibus! O quam lætum hoc esset nuntium, si et nos audire possemus, nos esse de illis ovibus et nomina nostra scripta esse in libro vitæ! Certe S. Franciscus, cum a Deo per revelationem didicisset se esse prædestinatum, per octo dies quasi extra se constitutus, cibi et precum horarum oblitus, exultabat et dicebat: *Laudetur Dominus.* Sed paucis datum est, ut ejusmodi vocem audirent. Habemus tamen aliqua non parva indicia, ex quibus probabiliter colligere possumus, eaque ex ss. Scriptura et patribus, utrum de ovibus Christi simus. Et quoniam Christus suos electos ovibus comparavit, non obscure insinuavit, fore nos de illorum numero, si habuerimus indicia illa, e quibus noscitur ovis. Audiamus.

I. Agnoscitur ovis ex mansuetudine, quia sola ex animantibus omnino inermis est, nec utitur aliquo defensionis genere; nec enim cornibus ferit, nec unguibus lacerat, nec dentibus mordet, nec calcibus icit, quantum vis male tractetur; quin etiam cum capris amicitiae vinculo juncta est. Ita etiam ovis Christi noscitur ex eo, si quis proximum suum etiam inimicum non contemptim tractet, adeoque cornibus superbæ non feriat, si vindictæ appetitu non laceret, si dentibus detractionis non mordeat, si dicta factaque ejus non male interpretetur, etc. Sic enim S. Bonaventura, lib. de profectu religiosi

dicit non esse evidentius prædestinationis argumentum, quodque hominem magis Deo assimilaret, quam mansuetum esse et patientem. Patet ex Matth. VI. ubi dicitur: *Diligite inimicos vestros, etc. ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est: es: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, quod si filii, et hæredes.* Unde ibidem additur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, sciæcet viventium seu cælum, ut exponit Hieronymus.* Quando David a Saule ad necem quæsitus, peperit Sauli in spelunca; præscindens oram de chlamyde illius, eum occidere eum potuisset, eamque chlamyden ostendit Sauli de procul, et mansuetissime locutus est, patrem eum vocando, videns Saul tantam Davidis mansuetudinem, filium eum vocavit et flevit, conclusitque eum post se regem fore in Israel, I. Reg. XXIV. *Et nunc quia scio, inquit, quod certissime regnaturus sis, et habiturus in manu tua regnum Israel.* Similiter etiam non vane colligitur eum regnaturum in cælo, qui mansuetudinem ovium gerit in terra. Centurio videns inter alia prodigia Christi mansuetudinem in cruce eum oravit ad Patrem pro inimicis, conclusit eum esse Dei Filium debere: *Verè Filius Dei erat iste.* Maximum enim hoc prodigium erat, quod cælum et terra et omnia propemodum elementa pro eo pugnant, ipse interim nullum iracundiæ verbum proferret, sed insuper pro inimicis suis oraret quemadmodum agnoscebat S. Bern. serm. de pass. dom. Quoniam igitur per mansuetudinem proxime accedimus ad Deum Patrem qui solem suum oriri facit super bonos et malos, ejusque Filium qui in cruce cum maledicentur, non maledicebat, sed ut agnus mansuetis simus tacebat, fieri facile non potest, ut ab ejus gloria excludamur, si mansuetudinem excellamus.

II. Ex patientia, quia ligari et tonderi se patitur, nec repugnat sicut canes et feles. Sive ad pascua ducatur, sive ad macellum, æquo fert animo, nec vociferatur veluti porcus cum jugulatur. Ita etiam ex patientia tribulationum agnoscitur hæres cæli. Testatur id primo, apostolus ad Hebr. XII. dicens: *Qui enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri (Græce, nothi, id est, spurii) et non filii estis.* Testatur S. Chrysost. « Si quem videris virtutis studiosum, inquit orat. III. de Lazaro, innumeris tamen affligi molestiis, beatum hunc puta, ut qui commissa peccata hic diluat, et illic paratam habeat mercedem. » Cui tamen addendum est, si is tribulationes patienter toleret. Nam alioqui videmus non solum bonos, sed etiam impios tribulari; non tamen eodem modo ab utrisque tribulationes sufferri. « Nec enim magis aliud injustos et justos discernit, ait S. Gr. ser. III. de bono patientiæ,

quam quod in adversis injustus per impatientiam conqueritur et blasphematur, patientia autem justos probat. » Cum ollam fictilem examinare volumus, digito eam pulsamus, et siquidem hiulcum edit sonum, fractam colligimus; sin vero obtusum, integram. Denique uti: *Vasa figuli probat fornax, sic homines justos tentatio tribulationis, ait Eccles. c. XXVII. nam vas testem probum igne solidatur, improbum vero crepat, et dissilit.* Unde S. Aug. in Ps. LX. ait: « Videte ergo paleas, videte et vos qui aurum estis: in eodem igne palea fumat, aurum rutilat: in eadem afflictione improbus blasphematur Deum aut accusat, patiens laudat, et ex ipsis adversis vires sumit, uti ignis qui flatu impetitur et crescit, atque unde extinguendus creditur inde roboratur. » Triticum ventilatum persistit, paleas avolant. Vis scire num pertineas ad triticum, in horreum Domini congregandum, an ad paleas igne comburendas? Vide num in tribulatione persistas patienter, an vero avoles per impatientiam.

III. Ex multiplicitate sua utilitate; pascit enim homines carne sua, potat lacte, vestit lana, adeoque evangelicam implet legem prout dixit aliquando S. Martinus de ove quæ tondebatur, quia duas tunicas habens dat unam non habenti. Sic etiam oves Christi agnoscuntur ex liberalitate, si pascunt esurientes, si potum dant sitientibus, si vestiunt nudos. Hoc enim expresse habetur Ps. XL. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus:* et Tob. IV. *Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.* Ratio quia talis facit sibi debitorem Deum, siquidem ipse dixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Ad hæc, quia fieri vix potest ut tot vota pauperum sint inania, quibus ipsi toties preantur æternam retributionem largientibus sibi eleemosynam, perpetuo enim dicunt: *Vota autem et orationes pauperum efficacissimæ sunt apud Deum juxta Ps. X. Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Unde Hier. in ep. ad Nepotian. ait: « Nunquam memini me legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit. Habet enim multos intercessores, et impossibile est, multorum preces non exaudiri. » Hæc ille.

Quare si vis aliquod præsagium salutis tuæ, dicam tibi quemadmodum Cyngari solent vaticinari; longe tamen verius. Jubent illi aperiri manum et enuntiant inde futura. Aperi et tu manum pauperi, da frequentes et largas eleemosynas, et salvus fies. Sic enim Deut. XV. dicitur: *Aperies munus fratri tuo egeno et pauperi qui tecum versatur in terra, subditque*

paulo infra: *Dabis ei, nec ages quippiam callide in ejus necessitatibus sublevandis; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore.* Exemplum refert ven. Beda de S. Oswaldo Anglorum rege, lib. III. hist. Angl. c. VI. qui cum assidente sibi Aidano episcopo, discum argenteum cum dapidus sibi appositus, jussisset afferri pauperibus, præ foribus expectantibus, episcopus manum ejus apprehendens dixit: *Nunquam inveterascat hæc manus.* Quod et factum. Rege enim in prælio interfecto, manus illius a corpore resectæ repertæ sunt, quæ deinceps semper incorruptæ permanserunt et asservatæ sunt in regia civitate. Quo exemplo ostendit Deus, non perituros eos, qui liberales sunt erga pauperes, sicut et istæ manus a putredine immunes fuerunt.

IV. Ex lana et pelle villosa. Ita ovis Christi censetur, qui *mortificationem Jesu* cum apostolo II. Cor. IV. *semper in corpore suo circumfert*: et pœnitentiæ pellem quam Adamo peccatori induit Deus, nunquam deponit, saltem quod habitum. Talis est, qui quoties recordatur præteritorum peccatorum suorum, toties ingemiscit aut tundit pectus, semperque putet sibi adhuc superesse, quod fletu puniat, quod jejunio, oratione, et eleemosyna diluat. Tacite hoc innuit Dominus, Math. XI. cum dixit: *Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Quasi a contrario dicere voluerit, quod S. Chrysost. hom. XXIX. in ep. ad Hebr. addit: *Qui ergo talia vestimenta non habent, in cælis sunt.* Itaque qui delicate vivunt et pœnitentiæ aversantur ac mortificationem, mundo serviunt: vestiti vero cum Joanne pilis camelorum, et qui assuescunt operibus pœnitentiæ, ad aulam cœlestem pertinent. De S. Augustino dixit quidam episcopus, I. III. confess. c. XII. fieri non posse, ut filius tantarum lacrymarum periret, quod pro ejus conversione et salute toties flere soleret ejus mater; quanto securius id ipsum dici potest de eo, qui propria peccata assidue deflet et in seipso punit? Sicut enim aquæ salsæ maris non facile sinunt perire navem, ob suam densitatem, sic lacrymæ pœnitentiæ non sinunt mergi hominem; quia ex amaro et Deum amante corde proficiuntur.

V. Ex salis appetitu, avide enim salem comedit et ex ejus frequenti comestione fecundior fit. Similiter oves Christi agnoscuntur ex eo si salem appetant doctrinæ salutaris, et verbi Dei præcones, de quibus, Matth. V. dicitur: *Vos estis sal terræ, libenter audiant.* Ita Joan. VIII. Dominus dixit: *Qui ex Deo est verba Dei audit*: et Joan. X. *Oves meæ vocem meam audiunt, et sequuntur me, et non peribunt in æternum, etc.* Quamquam non sufficit crebro tantum audire verbum Dei: sed præterea audiendum est cum

gustu, sine tædio, licet diutius prolongetur sine satietatis limite, cum ruminatione ejusdem et usu: hæc enim omnia et ovis facit. De hoc S. Augustin. in Ps. CXVIII. ait: «Mens prædestinati divina et sacra cupidine anhelat, seponi jubet negotia, ludos abrupti, epulas etiam quandoque deseri præcipit, ad templum, ad concionem urget, nec excusationes admittit, pluvium cœlum non metuit, serenum etiam negligit, aprico et campis templorum fornices præponit, satagit audire, nec satiatur auditis.» Hæc ille. Sic audierunt verbum Dei, Act. XIII. *Quotquot præordinati erant, ad vitam æternam, quando audientes gavisa sunt et glorificabant verbum Domini et crediderunt,* ait Lucas. Sic Magdalena, quæ a pedibus Domini avelli non poterat, sic Deipara Virgo, quæ conservabat omnia verba hæc in corde suo. Terra bona illa fuit, quæ semen accepit et fructum tulit. Hi sunt qui *audiunt cum gaudio et retinent in corde bono et optimo, et fructum afferunt in patientia,* ait Dominus, Luc. VIII. Vis ergo indicium aliquod prædestinationis tuæ? Vide num cum gaudio, gustu, et fructu audias verbum Dei. Refertur a Joan. Griths, serm. quad. in dom. pasch. ex lib. ænigm. Salomonis, inter alia proposuisse reginam Saba Salomoni duos flores simillimos, unum naturalem, alterum artificialem, ad discernendum. Salomon cum simillimos eos videret, jussit eos teneri a puero unum in dextra, alterum in sinistra, et hinc dimitti apes, illinc muscas. Tunc muscæ insederunt artefacto flori, apes naturali ut inde mel conficerent. Videro ante me multos auditores, sed alii sunt flores veri in horto Christi alii fictitii, nec possum ego discernere inter illos, sed quilibet in seipso potest, dum ego hic dimitto apes, id est, monita salutis, et diabolus alibi muscas, id est, cogitationes terrenas et inutiles. Si enim super cor tuum requiescat verbum Dei et inde succum bonarum cogitationum exsugat ad mel honorum operum conficiendum, salva res, flos verus es, ovis es: sin vero muscæ sub concione cor tuum obsidere et perambulare soleant, fictitius es, hædus es. Rationem quæris? Dulce est unicuique et jucundum audire de patria sua, ad quam repedare, vel de regione, in quam proficisci desiderat: de eadem sermones misceri libenter audit, interrogat, fabulatur: sic Israelitæ super flumina Babylonis sedentes, semper suspirabant ad patriam, Ps. CXXXVI. et per hoc commonstrabant se cives Jerosolymæ, non Babylonis esse.

VI. Ex pastu, quia avide valde et quasi insatiabiliter præsertim ingruente pabulatur hieme, ut refert Sanctus Ambrosius, in hexam. quasi sciens paulo post herbas frigore adurendas. Ita ovis Christi dignoscitur ex frequenti usu sacra-

mentororum confessionis et eucharistiæ. Confessionis quidem quia cum pœnitentiâ sit secunda post naufragium tabula, perire nequit, qui tabulæ illi firmiter semper adhæret, vel post naufragium statim eam arripit. Ast ubi eam dimiserit et inceperit propriis manibus natâre, jam res periculo plena est. Nec poterit homo sine pœnitentiâ diu saltem durare et incolumis persistere in hoc mundi pelago, quia plerique diu non sunt sine crimine. Hoc videns Servator noster, non dixit: *Nisi pœnitentiâ egeritis, omnes similiter peribitis*; sed: *Nisi pœnitentiâ habueritis, omnes similiter peribitis*, Luc. XIII. Ubi ergo quis habet et retinet semper pœnitentiâ, securus est de salute, nec facile contingere potest ut illius domum reperiet Deus immundam, qui frequenter eam scopis mundare solet, nec leves quidem in ea sordes tolerare potest. Communionis vero: quemadmodum enim qui ex arbore vitæ in paradiso subinde comedissent, semper vixissent: ita qui digne frequentant communionem, mortem non gustabunt in æternum. Unde Augustinus, de quarta feria, c. VI. ait: *Ut pulchra permaneat, o anima christiana, carnem Christi quotidie manducabis: ut vitam æternam habeas, sanguinem ejus potabis: vide ne mensam hanc deserat.* Hæc S. Augustinus. Hujus rei figuram exhibet panis ille subcinericius, in cujus fortitudine Elias ambulavit usque ad montem Dei Horeb, III. Reg. XIX. Quod si igitur avide comedas herbas horum sacramentorum, dum nunc pasqua durant, antequam veniat hiems mortis, ubi herbæ illæ non erunt amplius, indicium præbes tuæ prædestinationis.

VII. Ex timiditate et pavore quia non tantum lupum timent, sed etiam omnem luporum speciem, et qui lupis aliquantum similes sunt. Ita et oves Christi noscuntur ex timore et fuga peccatorum et quidquid peccati speciem repræsentat. Hinc Salomon, Prov. XXVIII. dixit: *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Qui castello suo semper adhibet vigiles, noctu et interdiu, tempore pacis et belli, omnesque intrare volentes examinat, non facile perdet munitionem illam. Et tu si timorem Dei adhibeas semper portis sensuum et appetituum tuorum; si omnia objecta examines, et juxta consilium apostoli abstineas te ab omni specie mala, I. Thes. V. non facile perdes Dei gratiam.

Deinde, si erraverit ovicula, et gregem suum perdidit, nullibi quiescit, sed continuo balans hac illac discurrit, et ad vocem vel intuitum gregis aut matris festinanter accurrit. Similiter etiam oves Christi, cum forte in peccatum lapsæ sunt, quietem non habent: timent semper cum Sancto Job, quasi timentes super se fluctus, Deum ejusque iudicium: et ideo cito quærunt

media ad resurgendum et oblata mox arripiunt. Unde peccant quasi secundum superficiem tantum: reprobi autem secundum omnem dimensionem, qui longissime a Deo alienantur. Illi in faciem cadunt, et quorsum cadant agnoscunt, ideoque manibus se juvare possunt citoque resurgere conantur; isti vero retrorsum, quemadmodum cohors illa Christum comprehensura in monte Oliveti, Joan. XVIII. qui quo cadant non agnoscunt, ideoque nec resurgere adlaborant. Priori modo videtur erravisse David, qui dixit: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco et peccatum meum contra me est semper*, Ps. L. Unde per orationem laboravit emergere, cum dixit, Psal. CXVIII. *Erravi sicut ovis quæ perit, quære servum tuum.* Denique, audita Dei vocatione per incitationem Nathan, statim ad Deum rediit per pœnitentiâ, cum contra Saul multis minis et plagis reduci non potuerit: sic Petrus solo Christi intuitu permotus post negationem ad se rediit et in lacrymas resolutus est, *sicut fluit cera a facie ignis*: cum contra Judas nec beneficiis, nec amicissimis verbis nec minis denique revocari potuerit. Quinetiam in ipso peccato persistens prædestinatus præ se fert quamdam virtuosus hominis speciem et nobilitatem, adeoque vestigia suæ prædestinationis; inclinatur enim adhuc ad virtutem, delectatur et afficitur rebus divinis, detestatur vitia, displicent ei iniquitates, placet virtus, etc. Et sicut nobilis filius per infortunium depauperatus et humili servitio addictus, verbi gratia ferro cudendo, inter ipsos carbones et sufflatoria præfert adhuc nobilitatis suæ indicia, sic David etiam in statu peccati adhuc constitutus, II. Reg. XII. zelum justitiæ monstrat, reum mortis exclamando eum qui abstulit pauperi ovem.

VIII. Ex crebro balatu: sic ovis Christi et prædestinatus ex studio orationis, si juxta præceptum apostoli *sine intermissione oret*, hoc est, frequenter et quodcumque fert occasio et necessitas, mane cum surgit, vesperi cum it cubitum: ante et post cibi sumptionem, ante et post opus, præsertim difficile. Sic enim et ovis antequam humi decumbat prius in genua se curvat, similiter antequam resurgat prius in genua se erigit. Agnellus etiam dum fuzit, plerumque genua flectit. Quisquis igitur hunc precum spiritum habet, fiduciam ad Deum habeat, quod sit prædestinatus. Sic enim intelligit S. Augustinus illud Ps. LXV. *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me*; quasi hoc sit certum perseverantiæ argumentum, si ab oratione non cessemus. Cum videris, inquit, non a te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est a te amota misericordia ejus. Idque optime concludit; quibus

enim Deus mandat ut semper orent, et simul dat spiritum semper orandi et petendi perseverantiam misericordiae divinae usque ad finem, sine dubio non amovet ab illis misericordiam suam, sed misericorditer facit eos perseverare usque in finem. Si quis ex nobis mandaret homini pauperi, ut a se quotidie peteret elemosynam, non posset juste negare petenti quotidianam elemosynam. Sic omnino liberalissimus Dominus qui dixit: *Oportet semper orare, et non deficere*; et qui donat amicis suis voluntatem semper orandi, et orandi sicut oportet, sine dubio exaudiet eos et conservabit illis misericordiam suam, donec in caelesti patria coronet eos. Cui accedit studium frequentandi templum, si enim Christus duodennis in templo repertus dixit parentibus suis: *Nesciebatis quia in his quas Patris mei sunt, oportet me esse*, annon idem de filiis Dei adoptivis dicere licebit? Scilicet si filii Dei sunt, nonne libenter in domo patris sui morabuntur? Et si libenter in ea morantur, nonne indicium praebent, quod sint filii Dei?

Speciatim vero cultus Deiparae Virginis, praedestinationis aliquod indicium esse, non immerito asseritur a B. Alano, l. de psalt. virg. c. XI. cum ait: *Habentibus devotionem ad hanc (Deiparam) signum est ordinationis et praedestinationis permagnum ad gloriam*. Colligitur hoc etiam ex variis epithetis illius. Vocatur enim communiter *stella maris*; per hanc autem diriguntur navigantes, ne a portu errent, sed feliciter appellant: *Vallum fidelium*, a B. Ephrem, in orat. ad virg. *Commune mundi propitiatorium*, ib. et ab Andr. Cret. ser. de assumpt. Virg. etc. Colligitur ex figuris. Ipsa enim est *virga de radice Jesse*, Isa. XI. virga autem Assueri regis ad aliquem protensa et ad osculum porrecta, signum erat regiae clementiae et securitatis vitae; aversa vero signum aversationis et mortis, Esth. IV. et V. Ipsa est *arca foederis*: arcam autem quia portaverat Abiathar summus sacerdos, vitam et salutem impetravit a Salomone, licet alioqui vir mortis esset, quod conspirasset contra Salomonem, III. Reg. II. Portant vero spiritualiter arcam illam, qui singulari devotione Mariam colunt. Ipsa est *iris et arcus caelestis*, signum foederis inter Deum et hominem; siquidem ejus interventu pax inter Deum hominemque firmata est. Ipsa est *Esther*, cujus gratia et cum qua etiam pedissequae ejus, vestem reginae defluentem portantes, ad conspectum regis venire poterant.

IX. Ex humilitate, nam humili gressu incedunt et capras etiam in via sequuntur: neque etiam erigunt se in pedes ad depascendas frutices, uti caprae, sed in terra manent. Pari

modo: *Signum electorum est*, inquit D. Ambrosius, in apologia de David, c. IX. *male de se sentire et vulnus suum agnoscere* S. Greg. I. XXXIV. moral. c. XXI. ait: « Quia Redemptor noster corda regit humilium, et Leviathan rex dicitur superborum, aperte cognoscimus, quod evidentissimum reproborum signum est superbia, et contra humilitas electorum. » Atque haec sunt notae quae quadamtenus ostendunt, quinam ex electis sint. Superest nunc ut ovium naturam imitemur. Audiamus Thomam de Kempis, de imitat. Christi, l. I. c. XXV. « Cum quidam, inquit, anxius inter metum, et spem frequenter fluctuaret, et quadam vice mœrore confectus in ecclesia ante quoddam altare se in oratione prostravisset, hæc inter se revolvit dicens: O si scirem quod adhuc perseveratus essem! Statimque audivit intus divinum responsum: Quod si hoc scires, quid facere velles? Fac nunc quod tunc facere velles, et bene securus eris. Moxque consolatus et confortatus divina se commisit voluntati, et cessavit anxia fluctuatio, noluitque curiose investigare, ut sciret quae sibi essent futura; sed magis studuit inquirere quae esset voluntas Dei beneplacens et perfecta ad omne opus bonum inchoandum et perficiendum. » Quando igitur scimus quid nobis faciendum sit, ut simus oves Christi, faciamus ea nunc, quae aliquando in articulo mortis vellemus nos fecisse.

## CONCIO VII.

## SIGNA REPROBATIONIS.

I. Facilitas peccandi lethaliter. — II. Dilatio continua poenitentiae. — III. Fastidium verbi Dei. — IV. Tedium orationis. — V. Terrenarum rerum appetitus et sitis. — VI. Nimia prosperitas saeculi. — VII. Odia et inimicitiae tenaces.

## THEMA.

*Cognosco oves meas.* Joan. X.

Tametsi Christus pastor noster bonus cognoscit oves suas, quas caelo vult inferre, nos tamen eas non cognoscimus, neque solum alios utrum oves Christi sint, sed nec ipsi nos, testante Ecclesiastico, cum dixit, c. IX. *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit*. Nec cognoscemus nisi in iudicio, quando segregabit Christus oves ab haedis. Ergo nunc inter oves Christi etiam haedi sunt, qui tamen saepe oves putantur. Quantum igitur, charissimi, timere semper debemus? Quam sollicite semper salutem nostram operari? Nam ut S. August. l. de ovibus, c. X. ait: *Ovem te putas, hircum te forte Deus novit*. Et ob id B. Aloysius Bertrandus semper amare flebat dicens: *Cur non amarissime fleam,*

*cum non certo sciam, an aeternae salutis compos sim futurus? ut in ejus vita f. m. Justinianus, c. IV. refert. Quemadmodum vero hac in re nihil prorsus certi scimus, ita probabilia habemus indicia, quibus haedos ad ovibus dignoscamus, ut ita nobis cavere, et gregem haedorum fugere possimus, et ne pusillanimes fiamus. Ideo sicut electos oves, ita praescitos haedos nominat Dominus, Math. XXV. ubi Chrysostomus ait: *Mores utriusque partis aperiuntur, cum alii haedorum, alii ovium nuncupatione nominantur*. Non enim electos ovibus, reprobos haedis comparasset Dominus nisi haec animalia typus essent utrorumque. Vidimus priore concione signa et proprietates ovium, videamus nunc haedorum seu hircorum.*

I. Haedi seu capri (hoc enim distinguit ab ovibus Christus) proni sunt ad nocendum hortis et arboribus; facile enim transiliunt septa et vastant quidquid occurrit tenellorum arborum; sic qui facile lethaliter delinquant sine doloris sensu aut conscientiae remorsu, adeoque proni sunt ad transgrediendum Dei leges absque timore, ostendunt se esse haedos, uti sentit vir illuminatissimus Ludovicus Granatensis: *Reprobationis signum mihi certum videtur, ait, facilitas lethaliter peccandi, sine doloris sensu*. Scribit Diod. Sic. l. II. de patre, qui unum tantum habebat filium, duos vero ab uxore adultera suppositos. Hic cum moriens legitimum suum filium instituisset haedem, qui tamen nesciebatur e tribus quis esset, iudex decrevit, ut qui jaculo cor patris proprius attingeret, haeres esset. Ergo spurii duo admodum expedite sagittas ejaculati sunt, et patrem feriere, tertius vero nequaquam adigi poterat, ut patrem jaculo peteret, quod hoc sibi piaculo duceret. Unde collegit iudex, hunc esse verum filium, eique addixit haereditatem patris. Simili ratione colligere possumus, qui sint filii Dei, qui non: nam: *Filius honorat patrem*, ait Dominus, Malach. I. *et servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Quare si quis absque doloris sensu facilis est ad ferendum Deum lethalibus peccatis, ostendit se non esse filium; uti contra filium se demonstrat, qui ad peccandum difficilis est, peccare horret, et si quando delinquit, non absque doloris sensu. Quid aliud agit homo, cum peccat, quam quod jaculo, quantum in ipso est, petit et configit Deum? Unde Malach. III. ait Dominus: *Quia vos configitis me; peccatis scilicet*.

II. Haedi semper foetent; ita qui peccatis obnoxii poenitentiam semper differunt, nec properant ad lavacrum, neque postea se emendant, haedos se ostendunt. Audi S. Isidorum: *Pigri-*

*tia, inquit, et in dies poenitentiam differre, signum manifestum reprobationis est*. Colligo hoc ex Apoc. II. ubi de perversa quadam Jezabele ait: *Dedi illi tempus, ut poenitentiam ageret, et non vult poenitere a fornicatione sua. Ecce ego mitto eam in lectum, hoc est, in infernum, ut exponunt Beda, Rupertus et Richardus de S. Vict. juxta id Isa. XIV. *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: suoter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes*. Vel lectus ille significat securitatem, secundum Primasium et Ansbertum: ita ut dimittatur illa Jezabel in lecto impoenitentiae suae suaviter decumbere, nec excitetur a Deo plagis aut clamoribus, donec omnino obdormiat ad mortem aeternam. Electi cum in peccato haerent, quasi in scamno jacent, quia requiem non habent, stimulantur a conscientia, et ideo ad Dei vocem cito excitantur, nec facile negligunt occasiones poenitentiae sibi oblatas. Ita Thomas, qui per octiduum mansit in incredulitate, statim ac primam magistri vocem audiit, cum gaudio et fide exclamavit: *Dominus meus, et Deus meus*: Petrus ad respectum Christi quam primum recordatus verbi divini, *egressus flevit amare*: David ad primam increpationem prophetae, poenituit et dixit: *Peccavi Domino*. Contra vero dati in reprobum sensum suaviter velut in lecto dormiunt in peccatis, nec facile excitantur oblati sibi poenitentiae occasionibus et incitamentis, ideoque tandem pereunt. Sic Pharaon tot signis et plagis non est excitatus: sic Judas tot Domini beneficiis, comminationibus, et suavissimis illis verbis: *Amice, ad quid venisti?* admonitus, immobilis, et pertinax mansit in proposito, atque ita uterque periit.*

Idem iudicium est de iis qui se non emendant. Sic enim S. Gregorius, in c. V. Job ait: *Reproborum est proprium semper prava agere, et nunquam quae egerint, retractare*.

III. Uti ovium est manere in iisdem pascuis, ita hircorum et caprarum non manere, sed discurrere huc illuc. Item uti ovium est, herbas ad radicem usque decerpere, ita hircorum et caprarum, extremitates tantum frondium carpere. Similiter qui verbum Dei obiter et carptim audiunt, vel omnino audire fastidiunt, quique ad verba tantum, non ad rem attendunt, discurrunt de uno concionatore ad alium mera ex curiositate, ad haedos pertinere dignoscantur. Audi Bern. serm. I. in septuag. « Nonnullos sic interdum audientes invenies, inquit, ac si nihil omnino ad eos pertineant, quae dicuntur: non intrare in cor suum, non discutere mores suos, non cogitare ne forte quod audiunt, dictum sit propter eos. Magis autem si forte sermo Dei vivus et efficax (qui suo et non ejus qu